

Ec. 13. 4to



EPISTOLÆ
DVÆ:

ALTERA SVSAN-
NÆ FILIÆ HELKIÆ,
AD IOACHIMVM SVVM MARI-
tum: Altera THAMAR filia Davidis ad AMNO-
NEM suum fratrem: Quibus addita est ELEGIA
de miraculis duorum quorundam SVITARVM
sive STIGIITARVM, anno
M. D. LXIX. factis.

AVTORE
MICHAELE ANNISIO
SERVESTANO.

VITEBERGÆ

EXCVDEBAT IOHANNES
CRATO.

ANNO M. D. LXX.

populani suo chari
Fascino Wörmelitz
dat. Autor

ILLVSTRISSIMO
ET GENEROSISSIMO PRIN-
CIPi AC DOMINO, D. IOACHIMO ER-

nesto, Principi Anhaltino, Comiti Ascania, Domi-
no in Seruesta & Berenburgo, Domino suo
Clementissimo. S. D. P.

QVI tibi nuper eram Princeps clarissime supplex,
Vt tua sit studijs gratia prona meis.

Idem nunc tenui mihi promanantia uena

Carmina sub titulo nominis edo tui.

Mitior inde mihi tua possit ut esse uoluntas,

Velaq; promissi pandat aperta sui.

Auxiliante sacras si te non uertar ad artes

Rursus, & hic sumtus ni tua dextra feret:

Dura meos reprimens cursus inhibebit egestas,

Et iuga Parnassi claudet ad alta uiam.

Non Pater, ante duos totidem sublatus & annos,

Post sua multiplices fata reliquit opes.

Vt plerunq; solent, reprobum quicumq; per orbem

Sacra Dei munus uerba docentis agunt.

Nunc miser hoc uiuens desertus ut Orphanus orbe,

Aspera plorandæ tempora sortis ago.

Et uelut arentes nequeunt assurgere plantæ,

Ni circumfusus sæpè rigentur aquis:

Sic ego fortuna grauitèr deiectus acerba,

Ni mihi quis, nequeo surgere, præstet opem.

Non est qui præstet, non qui succurrat egeno,

Si tamen est, cœpi dum miser esse, latet.

Ad tua supplicibus me confero numina uotis,

Inclyte Dux dantem respice uota tibi.

Si te nactus ero, spes ut mihi firma, patronum,

Posse nihil, de quo conquerar, esse, reor.

Sed quibus innitor, facili tranabo labore,

Non aliquo uenti flamine tardus, aquas.

Deniq; si qua meis continget gloria Musis,

Quem celebrem grato carmine primus eris.

T. C. Subditus MICHAEL ANNISIUS.

SUSANNA IOACHIMO.

Hanc Ioachime tibi transmitto Susanna salutem,
Dixissem solito quàm propè more, tua.
Sed faciente ream populo me criminis omni,
A populo mens est non aliena tibi.
Iamq̃ tuis forsàn sum maximus auribus horror,
Teq̃ simul videor digna probante mori.
Nomine perlecto, mirabor Epistola si non
Vsta vel est flammis, vel lacerata manu.
Coniugis admonitum quicquid te reddit honesta,
Protinus inuisum suspicor esse tibi.
Debuit ab prima mortem subijssè iuuenta,
Iam vetitum, dicis, turpiter ausa nefas,
Ausà nefas dicor, sed abest fiducia dictis,
Non tua sum populo, sum tua teste DEO.
Hoc meditans, animo dixi fidente decebit,
Vt meus est, Domino scribere pauca meo.
Forsitan accensa mentem reuocabit ab ira,
Et fundet lacrymas in mea damna suas.
Nec senibus, per quos sum diffamata, duobus,
Nec populo poterit spero frequente trahi.
Quod memini, miseris solet exorabilis esse,
Iraq̃ tam subito, quàm venit, omnis abit.
Atq̃ tuenda dolet quoties non causa tuetur,
Edidici dudum cordis operta sui.
Cur ego, quæ coniunx sua sum, non omnia norim?
Vt mea sunt illi, sunt sua nota mihi.
Sin minus, & nescit, quamuis sim iusta, moueri,
Lata feram quod me fata tulisse volent.
Iura verecundi feror amisisse pudoris,
Exiguus quoq̃ sit perdere uerba labor.
Plurima de senibus si sunt populoq̃ querenda,
Plurima de senibus de populoq̃ querar.

*Æstus erat nimius, medioq³ volabat Olympo,
Signa Poli Phœbus qui duodena regit:
Cum comitata tuo famulis spaciarer in horto,
Qui viret ad nostræ limina pulcra domus.
Fons oritur medio nitidis pellucidus vudis,
Quem saturo nullum contigit ore pecus,
Alta super pandit spaciantia brachia pomus,
Ne calida solis luce tepere queat.
Gramina iucundo circà nascuntur odore,
Proximus argentis quæ fouet humor aque.
Notior est locus hic tibi quàm describere possum,
Forsitan at mecum nunc odiosus erit.
Sæpius arborea solem sub fronde leuantes,
Sedimus has viridi gramine propter aquas.
Inq³ vicem nostros conneximus ambo lacertos,
Figentes teneris oscula casta genis.
Ipse ministrabas vndas mihi membra lauanti:
Quo tantus paruo tempore fugit amor?
Tunc quoq³ deposito densa velamine in herba,
Mundatura meum flumine corpus eram.
Ite mea, dixi, mihi balsama ferte ministræ,
Cætera quæ cupiam vos didicisse reor?
Et iubeo, Domine faciles parete iubenti,
Maxima sit vobis claudere cura fores.
Iamq³ manu fusas sparsi per corpora lymphas,
Nuda fui, quia me iudice sola fui.
Inter opus bini (referens horresco gemoq³)
Profiliunt, qui clàm delituère, senes.
Vrimur aiebant, est causa quod adsumus illa,
Igne leues tu nos, iniiciuntq³ manus.
Resq³ locusq³ sinunt, sunt obice limina clausa,
Tolle moras tantum, resq³ locusq³ sinunt.
Dura repugnabis nostro si forsan amori,
Copia nec fiet corporis vlla tui,*

Cum

Cum puero quodam per nos deprensa fereris
Propter & hoc famulas hinc abysse tuas.
Non latet à nobis vulgi pendere cohortem,
Quod facimus vel quod dicimus esse ratum.
Conspiciare licet, nobiscum tuta manebis,
Subducet culpam gloria nostra tuam.
Tunc me flere dolor, tunc me timor acer agebat,
Talia flebilibus dicere verba sonis:
Possidet alta meum torquens angustia pectus,
Vix spirare metu languida facta queo.
Totius angustus mihi redditur ambitus orbis,
Nescio quid nolim, nescio quid uel velim,
Obsequar, & vestra persuasa libidine vincar,
Iam rea iudicij, iam rea mortis ero.
Sin scelus (infandum scelus) admisisse recusor,
Effugiam vestras qua ratione manus?
Innocuam melius perdam sine crimine vitam,
Dulcius indignè, quàm meruisse, mori.
Numinis est ratio, quàm vestri, maior habenda,
Vestra fauente Deo sit leuis ira mihi.
Sic ibi fata: meis clamoribus insonat hortus,
Ambo senes contra voce dedere sonos.
Callidus vnus abit, nobis & vt egrior esset,
Limina dimotis pandit aperta seris.
Aduolat exortum plebs inspectura tumultum,
Fallor an intereras? sed nisi fallor eras.
Illi facta palàm de me mentita loquuntur,
Et sit adulterij testis vterq; mei.
Quod Deus hos miror non fulminis igne cremauit,
Aut patulus ruptæ sorpsit hiatus humi.
Tarda sed horribili geminabitur ultio pœna,
Iusta triumphabit tempore causa suo.
Ipsa velut turpi confusa pudore sedebam,
Quid fuerim sciui non benè, quouè loco.

A iij

Lumina

Lumina fixa solo fletu madefacta tenebam,
Nil poterat torpens lingua dolore loqui.
Mens vbi conualuit, quosdam dixisse notavi,
Notus erat vitæ mos quibus antè mea.
Annè scelus tantum cecidisse putemus in illam,
Sola prior multis quæ pietate fuit?
His mihi surgebat misera spes magna loquelis,
Et melior dicta de pietate fides.
Præcipiente venit præconum turba senatu,
Nocte quibus tota tradita cura fui.
Luce tuum populus tectum redeunte petebat,
Angulus angustus cœtibus omnis erat.
In medio statuor miserorum more reorum,
Innocuas duro fune ligata manus.
Sunt comites nati natæq; frequenter & illi
Sanguine qui iuncti sunt propiore mihi.
Mœsta graui mecum fundunt lamenta dolore,
Non minus ipsorum, quàm mea, causa fuit.
Ambiguae vario iactantur murmure voces,
Vulgus & euentum præmeditatur iners,
Prima parte sedent, primumq; merentur honorem
Falsa tumescens pectora fraude senes.
Non oculos à me fodiendos ense reflectunt,
Indicium fœdi vultus amoris erat.
Frons cooperta fuit peplo, retégiq; iuebant,
Vt forma possent se saturare mea.
Ah sensi, timidam si quid sentire putandum est,
An fuerit dubium est ira timore minor.
Vnguibus in vultus erat impetus ire seniles,
Et rigida canos sollicitare manu.
Est etiam vlcisci quædam potuisse voluptas,
Dum moriar, vellem leniter vltà mori.
Non aderant vires, quæ debuit ira fuisset,
Nil agit imbellis sed malè seuit homo,

Excitat

Excitat ardentem iniuria si qua furorēs,
Maximus est vires non habuisse dolor.
Vndiq; sunt tacitis vbi facta silentia linguis,
Ista senes ausi verba fuere loqui:
Hec cum pomosum se leta tulisset in hortum,
Dimisit famulas imperiosa suas.
Oppositoq; fores mandauit cardine claudi,
Mox iuuenis, primum qui latitabat, adest.
Spurca libidine sectantes gaudia Diuæ,
Quo steterant, ambo concubere loco.
Hec vbi nos vidit, turbata timore sedebat,
Ille cito fugiens se tulit inde pede.
Dicimus hoc vno sensu, dicemus & inde,
Est adeo nullus vera referre pudor.
Talia finierant, (vtinam sint summa locuti)
Et capiti palmas imposuere meo.
Protinus his vulgus credebat mobile verbis,
Non explorata re rea mortis agor.
Nil ego dicebam contra, me nemo rogabat
An mihi sim sceleris conscia, siue negem.
Non, si lapsa forem, me deliquisse negassem,
Bis reus est, celat qui malefacta, malus.
Vtiliter dixit, qui dicere poenitet audet,
Mollior hac summi voce fit ira Dei.
Multa gemens alto mihi suspiria celo,
Certa quod alma mihi pendeat inde salus.
Non minus includor grauibus religata catenis
Sordida me fœdi carceris antra tenent.
Aurea non oculis cernuntur sidera nostris,
Meq; suo nunquam lumine Phœbus adit.
Et mea non aequo spacio quod carmina distant,
In tenebris timida sunt perarata manu,
Dura catenarum scribentem pondera dextram.
Impediunt, digiti vix duo tresue vacant.

Nec

Nec fit scripta mihi relegendi verba potestas,
Quae non sunt oculis conspicienda meis.
Quam vereor ne forte, loco qui plurimus hoc est,
In mea vipereus corpora vermis eat.
Ferre profuso madefiunt vincula fletu,
Sperando totum flendoque tempus ago.
Mens sperare iubet, lacrymas effundere mæror,
Spe dolor obruitur, spesque dolore cadit.
Et precor interdum mortem, timeoque precata,
Fallimus hic tali tempora longa modo,
Foemina re facili quacuis causaque mouetur,
Causa satis miserae contigit ampla mihi.
Hei thalami gentisque tuae per mœnia passim,
Dedecus exclamor, quae decus antè fui.
Antè fui, sum semper adhuc, studeoque manere,
Dispeream, si non nunc ego vera loquor.
Quoque magis credas, vitam spectato priorem,
Congrua quae legi transijt acta sacra.
Fama loquax turpem quoties vulgârat amorem,
Mentis inops sedi tota, coloris inops.
Aut ego tunc surdam fieri me posse precabar,
Aut scelus hoc animo semper abesse meo.
Nomen adulterij plus horreo nomine mortis,
Quam leuius tanto crimine ferre queo.
Sæpe meis iungens tua suauiter oribus ora,
Quam pia dicebas est mihi nupta viro.
Ista breui quantum sese sententia vertit,
Non quererer versam, si mea versa foret.
Nec culpo, quae corde sedet tibi forsitan, iram,
Vera quidem non est causa, sed ampla satis.
Quis probet ingenuum non succensere maritum,
Si sua, præter eum quos amet, vxor habet?
Fraude senum populo capto, quoque captus es ipse,
Durus es innocuae non Ioachime rea.

Si mala

si mala tentassem fieri, reputarer honesta,
Cum pia sim, cogor nomen habere male.
Et volui potius nomen quàm crimen habere,
Nil si crimen abest, nomen adesse moror.
Quæso parùm pro me, mea lux mea vita, labora,
Casta tuo veniam non violata toro.
Tu potes vxorem miseræ subducere morti,
Non opus est pretio, dic modò, labe caret.
Quod facerem, tecum si sic ageretur, id omne
Nunc mihi, cùm mea res postulet, ipse refer.
Non essem quin te seruem Ioachime quæta,
Et vellem, pro te, si moriari, mori.
Sed licet ad pœnas rapiar sine iure cruentas,
Non tamen interitus causa ferere mei.
Iam supremus adest vitæ mihi finis, & hora
Quæ veniet post hanc, vltima forsàn erit.
Grandibus aut pellent animam de corpore saxis,
Aut nitido vulsum decidet ense caput.
Tu ne membra vorent volucres inhumata canesq̃,
Neue per insolitos ossa trahantur agros,
Ista cauo tantum digneris condere busto,
Nil vltra fieri nec magis optomibi.
Quodq̃, leuis labor est vltra fecisse, viator
Vt legat, hoc tumuli carmine saxa nota:
Non meruit, quamuis meruisse Susanna putetur,
Sed tulit infanda fraude coacta necem.

THAMAR AMNONI.

Sic sumus & simplex & credula turba puella,
Victa mea Thamar simplicitate queror.
Tu modo non esses victor, nec causa querendi,
Luctus in hoc leuior corde futurus erat.
Frater es, & vinclo iuncti sumus antè propinquo,
Cur vnquam vetitus nos quoq̃, iunxit amor?

B

Cur

Cur mihi, quod frater non debuit esse, fuisti?
Cognato grauius nomine crimen erit.
Qui me debueras tali de labe tueri,
Iam spoliū nostræ virginitatis habes.
Scribimus haud fratri, fugiendo scribimus hosti,
Iam vitandus eris, qui modo charus eras.
Quid iuuat accepto se vulnere velle tueri?
Clade quid accepta nunc queror, hostis hic est?
Si te vitassem cum nondum noxius esses,
Cum mea virginitas integra, quanta forem.
Nec, quia te reddi sperem mihi posse benignum,
Alloquor, aut quia sim suscipienda tibi.
Sed tua, quæ melius forsā te iudice celem,
Exprobrare tibi, facta nefanda volo.
Nobiscum quibus est miserè foedata duobus
Isræliticæ stirpis honesta domus.
In tua descendes imi penetralia cordis,
Et tecum dices, pœnitet esse reum.
Emissōq; polus cum fulminis igne sonabit,
Criminis admonitu conscia corda trement.
Stulta quid exprobro? verba exprobrantia ludet,
Hunc moueam, quem non terruit ira Dei?
Est seuius, multoq; fera truculentior omni,
Nota meo feritas est sua facta malo.
Impius eq; meo capiet fera gaudia luctu:
Sic miser illudi post sua damna solet.
Crimina proiecto tamen hæc vulgabo pudore,
Teq; super vox est magna futura mihi.
Audiet hanc æther, Deus & si viuus in illo est,
Fletibus insultes tu licet vsq; meis.
Letus es, & victa scelerate sorore triumphas,
Vltima læticiæ causa sit illa tuæ:
Inter Iesseos statuaris & ipse nepotes,
Stet genitor titulis inclytus ante suis.

Cumq;

Cumq̄, Phylistai fuerit mors lecta Gigantis,
 Innumeri fletus, innumeraq̄, fuga.
 Tot domita bello gentes captaeq̄, tot vrbes,
 Et tot felici praelia facta manu,
 Amnonis hoc tandem titulo signetur imago,
 Hic est qui famam fraude sororis habet.
 Scilicet hanc pradam venatus es improbe morbo,
 Talia sunt votis liba petita tuis?
 Venit honorificus, patre sic mandante, satelles,
 Iussaq̄, confestim mœstus agenda refert:
 Ecce tuus morbo grauius deiectus acerbo
 Frater, in incerta strata salute premit.
 Nullus & esse potest cibus acceptabilis egro,
 Porrigat hunc, inquit, ni tua virgo manus.
 Ad te suspirat, te solam languidus optat,
 Det tua, quod comedat, dextera, sanus erit.
 Sanguinis idcirco si te vicinia tangit,
 Si, mandata fero cuius honesta, pater,
 Amnona subsidio serua leuiore iacentem,
 Dum leuiore potes, ni grauiore velis.
 Totus, vt audiui, de corpore sanguis abiuit,
 Meq̄, diu fateor non potuisse loqui.
 Palladijsq̄, velut studijs intenta sedebam,
 E manibus nobis texta parata cadunt.
 Terrebar fatis te non melioribus vti,
 Et letabar opem te petijse meam.
 Quotquot in hoc viuunt adhiberent corpore vires,
 Dummodo, dicebam, saluus abire queat,
 Omina sub verbis, crebro latitare videmus:
 Quo nihil est nostro corpore maius habes.
 Semper pallebas, sed me veniente rubebas,
 Nec sensi, calidus causa quod esset amor.
 Certa tui facies animi dare signa volebat,
 Sed non lesuri spes mihi fratris erat.

Quid cupias, quæ sit morbi natura requiro,
Multa requirenti pauca proterue refers,
Non poteras certi quia nomina fingere morbi,
Quoq; laborabas, hic reticendus erat.
Turpiter obscænis ruis in mea colla lacertis,
Omnia sub fidi nomine fratris agis:
Oscula iungebas, non sic iungenda sorori,
Et plus, quàm fieri fas fuit, egit amor.
Cumq; semel nimius tibi venerit ardor edendi,
Nec iuuet egroti Regius ora cibus,
Ut citò bina tibi sumpta sartagine liba,
Te, saltem rogitas, inspiciente coquam.
Est mora nulla mihi, capio subigoq; farinam,
In me dum capio dum subigoq; vides:
Atq; toro nunc huc nunc illuc corpora versas,
Suntq; nimis voti tempora longa tui.
Sanguinis interea mihi frigida naribus exit,
Labitur inq; meos gutta per ora sinus.
Esse manus equidem fateor terrore retentas,
Omen & immensi rebar id esse mali,
Addebantq; suos salientia pectora motus,
Mens etiam verso venit abire gradu.
At funesta meo lux contigit ista pudori,
Hoc immota mihi fata fuere die.
Quodq; superuacuum est, nimium blandita mouebam
Ad tua decoctas ora subinde dapes.
Pluraq; fecissem demens, velut vltima feci,
Ut saluus, qui me perderet, esset homo.
Crebra meis ducens suspiria vultibus hæres,
Durus & auerso reijcis ore cibos.
Non potero, tecum nisi solus, sumere quicquam,
Quisquis ades, clamas, ito repente foras.
Extimulare tibi comedendi conor amorem
Nil minus, & mecum perside solus eras.

Tum

Tum mihi furtiuos audax profiteris amores,
Incipis & fraudis nuncius esse tuæ.
Vror amore tui, soror ô charissima dixti,
Talis in hoc sedem corpore morbus habet.
Vt tua forma mihi peperit, sic fingat ignes,
Sis rogo languoris causa modusq; mei.
Pulcra voluntati tua subijce corpora nostræ,
Premia concubitus inuidiosa feres.
Territa nitebar contrà, elabiq; volebam,
Corpora tu celeri prendis itura manu.
Herebamq; tuis validis inclusa lacertis,
Capta velut laqueis plangit & heret auis.
Non tamen effugies, pugnes licet improba dicis,
Hac mihi concideres antè necata manu.
Iamq; pater clamantem, & fletibus ora rigantem
Opprimis, oppressæ vi decus omne rapis.
Sontia vix tulimus temerato corpora lecto,
Est vehemens odium quod modo magnus amor.
Quàm fuit hic dulcis, tam factum est illud acerbum,
Aspectusq; tuos & mihi verba negas.
Nil nisi, cum loqueris, meretrix & adultera dicis,
Meq; ream sceleris, cuius es autor, agis.
Et pueris, animos quibus adijcis improbe iussu,
Eijcior non sic eijcienda tuis.
Quid facerem? mecum mea vita superstes abiuit,
Non vitæ mecum saluus abiuit honor.
Vociferata sacram repleo clamoribus urbem,
Turbatamq; grauis quæ furor egit, eo.
Diripui tristi variatas corpore vestes,
Quæ pia virginei signa pudoris erant.
Sertaq; proieci, laniatis rapta capillis,
Me quicumq; vident mente carere putant.
Verus &, vt fatear, sanæ mihi mentis ademptus,
Nec mirum, tantis luctibus vsus erat.

O vtinam tibi prima dies suprema fuisset,
Traxisset secum mors tua grande nefas.
Aut mihi maturo venissent funera letho,
Dum poteram salua virginitate mori.
Quae tam sustineo mecum mala cuncta perissent,
Me miseris natam casibus esse reor.
Quis malus instruxit te perside fraudibus istis?
Ad tua consilium quis tibi furta dedit?
Est mihi multiplicis suspectus Ionadab artis,
Non semel astuta cuius es vsus ope.
Quisquis is est, poenas vt sentiat ille precamur,
Quantumuis, vt non est, pater ipse foret.
Non leue perdidimus quiddam, sed prob dolor illud,
Reddere quod cura nemo nec arte potest.
Hei nihil hic artes, nihil hic medicamina, scimus
Casta pudicitiae iura perire semel.
Iungendam regum thalamis, & regibus ortam
Sanguine despiciunt inferiore sati.
Meq; palam vulgus digitis designat euntem:
Hoc sum, quod nitida sol sine luce foret
Est tua, si nescis modo conscia pectora quere,
Culpa grauis, quamuis sit quoq; nostra grauis.
Peccasti petulans & sponte, ego fraude coacta,
AEquior est vicio quilibet inde meo.
Incidit & nostri cum mentio facta, precatur
Mitia quisq; mihi numina, dira tibi.
Ipse parens in te tumida Rex aestuat ira,
Et nulla vellet te genuisse die.
Albaq; cum miteat multis sua tempora canis,
Accumulas senij toedia dura patri.
Si modo plus animi paulo mihi, crede, fuisset,
Atq; remisisset se timor ille parum,
Aut tibi nostra manus misisset in ilia cultrum,
Addita sunt membris cum tua membra meis.

Aut te

*Aut teperfosso fecissem lumine cæcum,
Grata foret nobis vltio, si qua foret.
Nec me cæde manus piguisset habere cruentas,
Essem pro casto facta pudore nocens.
Esset & ad leges virtutis quæq; tuendas,
Fortior exemplo facta puella meo.
Sum tamen haud aliquo sine vindice spero futura,
Est, tibi qui pro me tela nec emq; struat.
Est mihi frater adhuc placide cui nomina pacis,
Hic fera pugnaces vertet ad arma manus.
Namq; graui nuper dixit mihi feruidus ira,
Quid fles, quid tundis pectus & ora soror?
Turpibus annè tibi vim fraudibus intulit Amnon?
O scelus, ô ipsa morte pianda mala.
Per cælum, cæliq; Deum, terræq; potentem,
Perq; meam vitam iuro, patrisq; mei:
Hac illi rapiam dextra de corpore vitam,
Vltor & amissi fidus honoris ero.
Fama tuas referet quando mihi nuncia clades,
Pars oppressa mei magna doloris erit.
Intrepidusq; feram tunc ad tua funera vultus,
Guttula non oculis effluet vna meis.
Quin superinsistam membris irata cruentis,
Ut tu, cum raperes non rapienda mihi,
Et surdescentes iterabo crimen ad aures,
Existens animæ carnificina tuæ:
Vulneribus faciam maiores cuspide rictus:
Hæc sunt exequiæ quas tibi dire feram.
Spiritus horribili tuus vndiq; labe notatus,
Est Phlegætoniacis præda tenenda lupis.
Incestus propter, fœdosq; libidinis ignes,
Aethereo Sodomam perdidit igne Deus.
Sordida stagnat adhuc ibi putribus vnda lacunis,
Inq; ipsis signum flebile restat aquis.*

*Est mens certa mihi quod te quoq; poena sequetur,
Ne faciant reliqui talia, terror eris.
Ipsa meam lacrymis culpam precibusq; piabo,
In superos aliquid quæ duo iuris habent.*

ELEGIA
DE MIRACVLIS DVO-
RVM QVORVNDAM SVITARVM,
sive Stygiatarum anno 1569. factis.

*M*ira Suitarum qui noscere facta duorum,
Euentu quæ sunt cognita vera, cupit,
Certior à nobis, legat hæc modò carmina, fiet,
Omnia quæq; leget dicet habere fidem,
Discet & irati peruersas Demonis artes,
Quas affert contrà, per sua membra, pios.
Condita Sueuorum celebris consurgit in oris
Vrbs, & ab Augusti nomine nomen habet.
Floret in hac cœtus Stygias qui sternit ad vndas,
Ad Iesu quamuis numina iactet, iter.
Fulcraq; Romana iam iam ruitura Cathedra,
Condere Tartarea firminus arte studet.
Huius Auerniferi Monachus fuit ordinis vnus,
Qui fidei reliquis durior hostis erat.
Cerneret hic quandam cum ciuis in vrbe ministram,
Dogmata Romani spernere stulta patris,
Sæpius hanc blando compellans molliter ore,
Saluificam iussit dissimulare fidem.
Quin herus hoc etiam conatur, & efferus ipsam
Morigeram monitis talibus esse iubet.
Sin minus, ipsa Dei faceret sibi numen iniquum,
AETernaq; foret digna perire nece.
Artibus & Sathane grauitè tentata dolosis,
Fortè neci propria se daret vsa manu.

Quo

Quo magis vrgebant illi, magis illa negabat,
Aspera nil curans verba, nihilq³ preces.
Seq³ Deo tota tradebat mente regendam,
Perstitit inq³ sua firma tenaxq³ fide,
Inde Suita nouas animum dimittit in artes,
Inuenit exigua quod faciatq³ mora.
Consuit horribilem simulantes Dæmona vestes,
Tecta quibus postquam corpora cinxit abit.
Et famula somnum capientis nocte cubile,
Scilicet euentus spe melioris, adit:
Gestibus atq³ ibi se varijsq³ tumultibus offert,
Excita præ nimio virgo timore tremit.
Profluit immensus trepido de corpore sudor,
Non secus ac fufis lectulus humet aquis.
Vnguibus arreptam tolli se fingit acutis,
Et dubitans intra spemq³ metumq³ iacet,
Optat & exorto lucem citò sole redire,
Visaq³ nox multis longior vna fuit.
Manè querebatur lacrymans hæc omnia seruo,
Cui stabilem certò nouerat esse fidem.
Qui, modò des signum præsentis voce latronis,
Nulla parte, mihi crede, morabor, ait.
Protinus accurram telis instructus & armis,
Certior vt qualis quisq³ sit esse queam.
Rursus & orta sua cum sidera luce niterent,
In forma Sathanas ille priore redit.
Territa concipiens tristes ancilla pauores,
Ore dedit magnos vociferante sonos.
Soluit & excussum seruo clamore soporem,
Mox tepido tollit qui sua membra toro.
Fulmineoq³ suum cingens latus ense reuincit,
Sumit & irata ferrea tela manu.
Et celer ingressus trepida conclaue ministre,
Lumine tartareum cernit adesse Deum.

Obuius expansis mox qui venit vnguibus illi,
Terribiliq₃ sonos turbidus ore ciet.
Stat famulus, crinesq₃ alta formidine surgunt,
Attonitum vincit mens animosa metum.
Obtestatur eum summi per sacra Tonantis
Numina, Per Christi vulnera, probra, crucem.
Se non inde tamen Sathanas auferre volebat,
Sed propior multo, quàm fuit antè, venit.
Seruus at his fraudes agnoscens rebus inesse,
Vix Stygius secum Spiritus inquit eris.
Ferrataq₃ caput claua, quam forte gerebat,
Pulsatum misera conditione ferit.
Ille quidem gestus exercet vt antè feroces,
Non benè sed leta mente fuisse potest.
Eductum famulus vagina corripit ensem,
Demonis & fosso pectore corda petit,
Funera qui magno subiens extrema boatu,
Concidit in duram sanguinolentus humum.
Factus & abstracto mox est velamine notus,
Quiq₃ putabatur Pluto, Suita fuit.
Ipse sed in cuius forma discessit ab orbe,
Vnguibus hunc animam credo tenere suis.
Accidit hoc etiam memorabile tempore factum,
Qua iacet Austriaco structa Vienna solo.
Illic fœcunda degebant prole beati,
Sed non fortune fœmina virq₃ bonis.
Cessabatq₃ simul victus cessante labore,
Quemq₃ darent soboli vix meruère cibum.
Hos, animum furij agitat & arte Pelasga,
Ex Stygiatarum cœtibus vnus adit:
Immensumq₃ sua præ se fert fronte fauorem,
Talibus & blandè vocibus usus ait:
En ego, sit nostri sensus modò pectoris idem,
Fortuna faciam vos meliore frui.

Semper

Semper vt ornati me pluribus indice rebus,
Suauiter optatas possideatis opes.
Non ego, quod damno vobis sit fortè iubebo,
Hinc erit omne malum crimen & omne procul.
Ergò meis faciles dictis vos esse futuros
Affirmate data nunc mihi vterq₃ sive.
Quid facerent? dura pressi sub sorte iacebant,
Spemq₃ dabat pietas sanctaq₃ vita viri.
Cuncta peracturos, animo se iussa lubenti,
Aurea, promittunt, dummodo dona ferant.
Velatum niueis lodicibus indue corpus,
Dixit honorato mox Stygijs viro,
Teq₃ nouo claudas loculo, ceu mortuus esses,
Eq₃ tua ad tumulum quando ferere domo,
Tunc ego, ne dubites, presens ero, teq₃ iacentem
Vitali rursus luce iubebo frui.
Turpiter inuadat ne me confusio, tu sis
Promptus, & ad voces surge repente meas,
Te sed summa viri ceu funera foemina fleres,
Non pudeat miseris exululare modis,
Vultu meq₃ tuo presentem quando notabis,
Vt tibi subsidio non grauer esse, pete.
Vlteriusq₃ rei quodcunq₃ videbitur aptum,
Vos operam, rectè fiat vt omne, date.
Sic ait, & parent: altis sub turribus æra
Mœsta sepulturæ, signa dedere sono.
Iamq₃ ferebatur multis comitatus ad istum,
Quò recubant hominum membra sepulta locum.
Morte gemens raptum fundit lamenta maritum
Vxor, & effuso perluit imbre genas.
Nullius admittit solatia prorsus amici,
Omnia cumq₃ suo dicit adempta viro.
Pignora sæpè tori clamans numerosa relictæ,
Multorum lacrymas elicit ipsa suis.

Accurrit

Accurrit Stygÿta rei velut inscius huius,
Quemq; ferant quis sit scire laborat homo:
Hunc mulier videt, & magno sic fata dolore,
Vir meus hÿc fertur morte solutus, ait,
Qui multam viduæ prolem mihi raptus alendam,
Sed nihil vnde istam meq; reliquit alam.
Alterius quare posthac cogemur ad ædes,
Mendici tenuem poscere more cibum.
Si potes, afflictis ô vir pie consule rebus,
Omnipotens, tibi qui cuncta rependet, erit.
Ille sua fletus suspendere voce rogantem,
Portantesq; gradus sustinuisse iubet.
Miraq; facturis populis spectantibus inquit,
Surge tibi dico mortue, tolle caput.
Sæpius hæc iterat, nec se tamen ille mouebat,
Nullaq; se quicquam viuere signa dabat.
Disidet euentus votis, Monachusq; pudore
Obrutus, hunc ego sum viuere certus, ait,
Vos ipsum loculo cur non nudatis aperto,
Vt sua consurgens membra leuare queat?
Nudatur, lucisq; nihil vitalis habere
Cernitur, & plenum frigore corpus erat.
Territus amittit viuum Stygÿta colorem,
Et fuga dum poterat quid valuisse, fugit.
Fœmina tunc autem, quod se simulauerat antè,
Orba suo verè cogitur esse viro.
Et laniata sinus clamat, laniata capillos,
Narrat & hæc quo res tota sit acta modo.
Iratu Monacho populus mala multa precatu,
Dicit & in tonsu verba proterua gregem.
Cautus at ille fugam nisi maturasset ab vrbe,
Occisus pœna conueniente foret
Quisquis adhuc Monachis hominum constanter adheret,
Hic plus stultitiæ quàm rationis habet.

F I N I S.

Q 460

ULB Halle


3


003 485 978



MC








EPISTOLÆ
DVÆ:
ALTERA SVSAN
NÆ FILIÆ HELKIÆ,
AD IOACHIMVM SVVM MARI-
tum: Altera THAMAR filie Davidis ad AMNO-
NEM suum fratrem: Quibus addita est ELEGIA
de miraculis duorum quorundam SVITARVM
sive STIGIITARVM, anno
M. D. LXIX. factis.

A V T O R E
MICHAELE ANNISIO
SERVESTANO.



VITEBERGÆ
EXCVDEBAT IOHANNES
CRATO.
ANNO M. D. LXX.

populari suo chari/
Forchimo Wörmelitz
d. d. Autor